



**Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera**

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;  
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

**Gregor <I., Papst>**

**Lutetia Parisiorum, 1675**

Epistola Ad Leandrum Hispalensem Episcopum in expositionem Libri B.  
Job.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](#)



# S. GREGORII

## PAPÆ LIBRI MORALIUM.

S I V E

### EXPOSITIO IN LIBRUM B. JOB.

#### EPISTOLA

Ad Leandrum Hispalensem Episcopum in expositionem  
Libri B. Job.

Reverentissimo & sanctissimo fratri suo Leandro coepiscopo,  
Gregorius servus servorum Dei.

Io. Diacon. lib. 1. de vita S. Gregorij c. 27.

**D**UDUM te, frater beatissime, in Constantinopolitana urbe cognoscens, cùm me illic Sedis Apostolice responsa constringeret, & te illuc injuncta pro causa fidei Vvistigothorum legatio perduxisset, omne in tuis auribus, quod mihi de me displacebat, exposui: quoniam diu longeque conversionis gratiam distuli, & postquam cælesti sum desiderio afflatus, seculari habitu contegi melius putavi. Aperiebatur enim mihi jam tunc de aeternitatis amore quod quererem: sed inolta me consuetudo devinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cumque adhuc me cogerer animus, præfenti mundo quasi specie tenus deferire; cœperunt multa contra me ex ejusdem mundi cura succrescere, ut in eo jam non specie, sed (quod est gravius) mente retinerer. Quæ tandem cuncta sollicitè fugiens, portum monasterii petui: & relictis qua mundi sunt, ut frustra tunc credidi, ex hujus mundi naufragio nudus evasi. Quia enim plerunque navem incautè religatam, etiam de finu tutissimi littoris unda excutit, cùm tempestas excrescit: repente me sub praetextu Ecclesiastici ordinis, in castrum secularium pelago reperi; & quietem monasterii, quia habendo non fortiter tenui, quam stricte tenenda fuerit, perdendo cognovi. Nam cùm mihi ad percipiendum facri Altaris ministerium, obedientia virtus opponitur, hoc sub Ecclesia colore suscepimus est, quod si inultè licet, iterum fugiendo deflectatur. \* Postquam que nolenti mihi atque renitenti, cùm grave esset hoc. Altaris ministerium, etiam pondus est cura Pastoralis injunctum. Quod tantò nunc \* gravius tollero, quanto me ei imparem sentiens, in nulla fiducia consolatione respiro. Quia enim mundi jam tempora, malis crebrecentibus, termino propinquante turbans.

\* al. du. lis injunctum. \* al. du. lis injunctum.

S. Greg. Tom. I.

ta sunt; nos, qui internis mysteriis deseruire creditur, curis exterioribus implicamus: sicut eo quoque tempore, quo ad ministerium Altaris accessi, hoc de me, ignorante me, actum est, ut sacri Ordinis pondus acciperem, \* quod in terreno palatio licentius extubarem. Ubi me scilicet multi ex monasterio fratres mei, germana vinclis charitate, secutisunt. Quod divina factum dispensatione compicio, ut corum semper exemplo ad orationis placidum litus quasi anchora func restringeret, cùm causarum secularium incessibili impulsu fluctuarem. Ad illorum quippe confortium, velut ad tutissimi portus \* finum, post num terræ actus volumina fluctuque fugiebam: & licet reni, illud me ministerium ex monasterio abstractum, à pristinæ quietis vita mucrone sue occupationis extinxerat; inter eos tamen per studiosa lectionis allocutionem quotidiana me alpiratio compunctionis animabat. Tunc eisdem fratribus, etiam cogente re, placuit, sicut ipse meministi, ut librum beati Job exponere importuna me petitione compellerent; & prout veritas vires infunderet, eis mysteria tanta profunditatis aperirem. Qui hoc quoque mihi in onore sua petitionis addiderunt, ut non solum verba historiæ per allegoriarum sensum excuterem, sed allegoriarum sensus protinus in exercitium moralitatis inclinarem; adhuc aliud gravius adjungentes, ut intellecta quæque testimonis cingerem; & prolata testimonia, si implicita fortasse viderentur, interpolatione superaddita expositionis enodarem.

Mox vero, ut in obscuro hoc opere, ante nos haec tenus indicuisse, ad tanta me pertrahi ac talia cognovi, solo auditus pondere vietus, fateor, lasfatiusque succubui. Sed repente inter formidinem devotionemque deprehensus, cùm in largitorem numerum oculos mentis attollerem, cunctatione post-

<sup>\* al.</sup> posita, illico certus attendi: quia impossibile esse non poterat, \* quod de fraternis mihi cordibus charitas imperabat. Fore quippe idoneum me ad ista desperavi: sed ipsa mea desperatione robustior, ad illum spem protinus erexit, per quem aperta est lingua mutorum, qui linguas infantium facit disertas: qui immensos brutosque asina ruditus, per sensatos humani colloqui diffinxit modos. Quid igitur mirum, si intellectum stulto homini praebat, qui veritatem suam, cum voluerit, etiam per ora jumentorum narrat? Hujus ergo robore considerationis accinctus, aridatatem meam ad indagandum fontem tanta profunditatem excitavi. Nam quamvis eorum, quibus exponere compellebar, longè me vita transcenderet, injuriosum tamea esse non credidi, si fluenta usibus hominum plumbi fistula ministret. Unde mox eisdem coram positis fratribus priora libri sub oculis dixi: & quia tempus paulò vacantius reperi, posteriora tractando dictavi. Cumque mihi spatia largiora suppeterent, multa augens, pauca subtrahens, atque ita ut inventa sunt, nonnulla derelinquens, ea que me loquente excepta sub oculis fuerant, per libros emendando compofui: quia & cùm postrema dictarem, quo stylo prima dixeram, solicite attendi. Egi ergo, ut & ea qua locutus sum, studiosa emendatione transcurrentis, quasi ad similitudinem dictatus erigerem; & ea qua dictaveram, non longè à colloquentis sermone discrepant: quatenus dum hoc tenditur, illud attrahitur, edita modo dissimili res non dissimilis formaretur; quamvis tertiam hujus operis partem ut colloquendo protuli, pene ita dereliqui: quia cùm me fratres ad alia pertrahunt, hanc subtiliùm emendari noluerunt. Quibus nimirum multa jubentibus, cùm parere modo per expositionis ministerium, modo per contemplationis ascensum, modo per moralitatis instrumentum volui, opus hoc per triginta & quinque voltinam extensem in sex codicibus complevi. Unde & in eo se p̄cūlā quālī postponere ordinem expositionis inveniō: & paulò diutius contemplationis latitudini ac moralitatis insudo. Sed tamen quisquis de Deoloquitur, curet necēs est, ut quidquid audientium mores instruit, rimetur: & hunc rectum loquendi ordinem depetur, si cùm opportunitas adificationis exigit, ab eo se, quod loqui cooperat, utiliter derivet. Sacri enim tractator eloqui morem fluminis debet imitari. Fluvius quippe dum per alveum defluit, si valles concavas ex latero contingit, in eas protinus sui impetus cursum divertit, cumque illas sufficienter impleverit, repente se in alveum refundit. Sic nimirum, sic divini Verbi esse tractator debet: ut cùm de qualibet re differit, si fortasse juxta positam occasionem congruae adificationis invenierit, quasi ad vicinam vallem lingua undas inorqueat: & cùm subiunctae instructionis campum sufficienter infuderit, ad sermonis propositi alveum recurrat.

III. Scindūa vero est, quod quādām historica expositione transcurrimus; & per allegoriam quādām typica investigatione perscrutamur; quādām per sola allegorice moralitatis instrumenta discutimus; nonnulla autem per cuncta simul sollicitūs exquirentes, tripliciter indagamus. Nam primū quidem fundamenta historiæ ponimus: deinde per significationem typicam, in arcem fidei fabricamentis erigimus: ad extremum quoque per moralitatis gratiam quasi superducto adificium colore vestimus. Vel certè quid veritatis dicta, nisi reficienda mentis alimenta credenda sunt? Quae modis alternantibus multipliciter differendo, ferulum ori offerimus, ut invitati lectoris quasi convivæ nostri fastidium repellamus, qui dum sibi multa oblatā considerat, quod elegantius decernit, assumat. Aliquando vero exponere aperta historiæ verba negligimus; ne tardius ad obscurā veniamus. Aliquando autem intelligi juxta litteram nequeunt; quia su-

A perficie tenus accepta nequaquam instructionem legentibus, sed errorē gignunt. Ecce etenim dicitur: *Sub quo curvantur qui portant orbem.* Et de tanto viro <sup>Iob 9. 6</sup> quis nesciat, quod nequaquam vanas Poëtarum fabulas sequitur, ut mundi molem subvehī giganteo sudore suspicetur? Qui rursum preflus percussionebus dicit: *Elegit suspedium anima mea, & mortem offa* <sup>Iob 7. 1</sup> *mea.* Et quis rectū sapiens credat virum tanti præconi, quem videlicet constat ab æterno judice præmia pro patientiæ virtute recipere, decrevisse inter verbera suspenditum vitam finire? Aliquando etiam, ne fortasse intelligi juxta litteram debeat, ipsa se verba litteræ impugnant. At namque: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo.* <sup>Iob 3. 4</sup> Et paulò post subiicit: *Occupet eam caligo, & involvatur amaritudine.* Atque in ejusdem noctis maledictione subiungit: *Sit nox illa solitaria. Qui nimirum nativitatis dies, ipso impulsu temporis evolutus, stare non poterat.*

B Quo igitur pacto hunc involvi caligine optabat, <sup>IV. \* ad. E.</sup> qui clapsus, jam non erat: & tamen si in rerum natura subfisteret, sentire amaritudinem nequaquam possit: Constat ergo, quod nullo modo de die insensibili dicitur: qui sensu percuti amaritudinis optatur. Et si conceptionis nox reliquis noctibus conjuncta discesserat, quo pacto hanc fieri solitariam exoptat? Quæ ut à lapsu temporis figi non potuit: ita euam nec à reliquarum noctium coniunctione separari. Qui rursum dicit: *Visquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam?* & tamen paulò superius dixerat: *Quæ prius tangere solebat anima mea, nunc* <sup>Iob 6. 6</sup> *præ angustiis cibis mei sunt.* Quis autem nesciat salivam facilis posse glutiri, quam cibum? Qui itaque se sumere cibum denunciat, incredibile est valde quo ordine glutire posse salivam negat. Atque iterum dicit: *Pecavi, quid faciam tibi ò, custos hominum?* <sup>Iob 7. 2</sup> *Vel 10. 1. 4* *Ecerte:* *Consumere misericordie mee?* Et tamen alia responsione subiungit: *Nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Quo ergo pacto à corde suo minimè in omni vita reprehenditur, qui peccasse se publica voce testatur? Neque enim simul umquam convenienticula operis, & irreprehensibilitas cordis. Sed nimirum verbaliter, dum collata sibi convenire nequeunt, aliud in se aliquid quod queratur ostendunt, ac si quibusdam vocibus dicant: *Dum nostra nos conspicitis superficie destrui, hoc in nobis querite, quod ordinatum sibiique congruens apud nos valeat intus inveniri.* Aliquando autem qui verba accipere historiæ juxta litteram negligit, oblatum sibi veritatis lumen abscondit: cumque laboriosè invenire in eis aliud intrinsecus appetit, hoc quod foris sine difficultate affequi poterat, amittit. Sanctus namque vir dicit: *Sinegavi quod rolobant, pauperibus, & oculis vidue expeditare feci: si comedii buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea: si despexi præterirentem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem: si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est.* Quæ videlicet si ad allegoriam sensum violenter inflectimus, cuncta ejus misericordia facta vacuamus. Divinus etenim sermo sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet. Habet in publico unde parvulos nutrit: servat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluvius, ut ita dixerim, planus & altus, in quo & agnus ambulet, & elephas natet. Ut ergo uniuscujusque loci opportunitas postulat, ita se per studium expositionis ordo immutat: quatenus tantò verius sensum divina locutionis inveniat, quantò ut res quæque exegerit, se per cauferum species alternat. Quam videlicet expositionem recensendam tua beatitudini, non quia velut dignam debui, sed quia te petente memini promissile, transmisi. In qua quidquid tua sanctitas tepidum in cultumque repererit, tantò mihi celerrimè indu-

geat, quando hoc me ægrum dicere non ignorat. Nam dum molestia corpus atteritur, afflicta mente etiam dicendi studia languescunt. Multa quippe annorum iam curricula devolvuntur, quod crebris viscerum doloribus crucio: horis momentisque omnibus fracta stomachi virtute lassescit; lenti quidem, sed tamen continuis febribus anhelito Inter quæ dum sollicitus penso, quia scriptum est: *Omnis filius, qui à Deo recipitur, flagellatur:* quod malis præsentibus diutius deprmor, eo de aeternis certius præsumptione respiro. Et fortasse hoc divina providentia consilium fuit, ut percutiunt Job percutiunt exponerem, & flagellant mentem melius per flagella sentirem.

*V.*  
\* al. la-  
bori  
mei stu-  
dii.  
*Heb. 12.*

Sed tamen recte considerantibus liquet, quia ad versitate nonmodica, laboris mei studiis in hoc molestia corporalis oblitus: quod carnis virtus cum locutionis ministerium exhibere vix sufficit, mens dignæ non potest intimare quod sentit. Quidnamque est officium corporis, nisi organum cordis? Et quamlibet peritus sit cantandi artifex, explorare artem non valet, nisi ad hanc sibi ministeria exteriora concordent: quia nimur canticum, quod docta manus imperat, quassata organa propriæ non resultant: nec artem flatus exprimit, si scissarimis fistula strider. Quantò itaque gravius expositionis meæ qualitas

premitur, in qua dicendi gratiam sic fractura organi dissipat, ut hanc peritias nulla componat: Quæso autem, ut hujus operis dicta percurrent, in his verborum folia non requiras: quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infraetsa loquacitatis le-  
*Dent. 10.*  
vitas studiosè competetur, dum in templo Dei ne-  
mus plantari prohibetur. Et cuncti proculdubio sci-  
mus, quia quoties in foliis male latè segetis culni proficiunt, minori plenitudine spicarum grana tur-  
gescunt. Unde & ipsam loquendi artem, quam ma-  
gisteria disciplina exterioris insinuant, servare def-  
*Prosp. de  
vir. cor.  
lib. 3. ca.  
ult.*  
pexi. Nam sicut hujus quoque epistola tenor enum-  
ciat, non metacimi collitionem fugio, non barba-  
rismi confusione devito, situs \* motusque & præ-  
positionum casus servare contendo: quia indignum  
*Dift. 38.  
c. indi-  
gnum.  
al. mo-  
dosque  
\* al. utilis*  
vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi re-  
stringam sub regulis Donati. Neque enim haec ab  
\* aliis interpretibus in scripturæ sacra auctoritate ser-  
vata sunt. Ex qua nimur quia nostra expofitio ori-  
tur, dignum profectò est, ut quasi edita foiboles spe-  
ciam sua matris immitetur. Novam verò translatio-  
nem differo: sed ut comprobacionis causa exigit, nunc  
novam, nunc veterem per testimonia affumo; ut quia  
Sedes Apostolica, cui Deo auctore præsideo, utraque  
utitur, me quoque labor studi ex utraque fulciatur.

## SANCTI GREGORII PRÆFATIO

IN EXPOSITIONEM LIBRI B. IOB.

De qua stirpe, quo tempore fuerit Job.

CAPUT PRIMUM.

*Gen. 36.*  
d  
\* al. e-  
num-  
randia.

**N**T E R multos sepe queri solet, quis libri beati Job scriptor habeatur. Et alii quidem Moysen, alii unum quemlibet ex Prophetis scriptorem hujus operis fuisse suspicuntur. Quia enim in libro Genesios Jobab de stirpe Esau descendisse, & Bale filio Beor in regnum successisse describitur: hunc beatum Job longè ante Moysi tempora extitisse crediderunt, morem profecto facri eloqui nescientes; quia in superioribus suis partibus solet breviter longè post secutura perstringere, cum studet ad alia subtilius\* enuncianda properare. Unde & illic Jobab, priusquam reges in Israël existenter, fuisse memoratur. Nequaquam ergo extitisse ante legem cognoscitur, qui Israëlitæ corum Judicum tempore fuisse signatur. Quod dum quidam minus cautè considerant, Moysen gestorum illius quasi longè antepotiti scriptorem putant: ut videlicet is, qui potuit ad eruditionem nostram legis præcepta edere, ipse credatur etiam ex gentilis virti B historia, virtutis ad nos exempla mandasse. Nonnulli verò, ut dictum est, scriptorem hujus operis unum quemlibet ex prophetis arbitrantur: afferentes, quod nullus tam mystica Dei verba cognoscere potuit, nisi cuius mentem propheta spiritus ad superna sublevavit. Sed qui hac scriperit, valde supervacue quereretur: cum tamen auctor libri Spiritus sanctus fiduciter creditur. Iple igitur hac scripsit, qui hac scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit, & per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit. Si magni cuiusdam viri suscepti epistolis legeremus verba, eaque quo calamo fuissent scripta, quereremus: ridiculum profectò esset, si non epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa

S. Greg. Tom. I.

A fuerint, indagare studeamus. Cum ergo tem co-  
gnoscimus, ejusque rei Spiritum sanctum auctorem  
tenemus, quia scriptorem querimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras, de calamo perscrutam-  
ur: Arbitrari tamen verius possumus, quod idem beatus Job, qui certamina spiritualis pugna sustinuit, etiam consummata sua victoria gesta narravit. Nec movere debet, quod in eodem libro dicitur, Dixit Job: vel hac, atque illa pertulit Job. Moris enim Scripturæ sacrae est, ut ipsi, qui scribunt, sic de se in illa quasi de aliis loquantur. Hinc est enim quod Moyse ait: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes ho-  
mines, qui morabantur in terra.* Hinc Joannes dicit: *a  
N. 12.*  
Dicípulus ille s quem diligebat Iesus. Hinc Lucas ait: *10. 19.*  
Quod ambularent duo ex dicípulis in via, Cleophas, *2.* *Luc 24.*  
alius. Quem profectè alium, dum tam studiosè ta-  
cuit, ut quidam dicunt, quid nisi scipsum fuisse monstrarunt? Scriptores igitur sacri eloqui, qui im-  
pulsu sancti Spiritus agitantur, sic de se in illo testi-  
monium quasi de aliis proferunt. Spiritus ergo sanctus per Moysen locutus est de Moysi: Spiritus sanctus per Joannem locutus est de Joanne. Paulus quoque quia non ex seipso loqueretur, insinuat di-  
*2. Cor. 6.*  
cens: *An experimentum queritis eius, qui in me loquitur i., a  
Christus?* Hinc est quod Angelus, qui Moysi appa-  
ruisse describitur, modò Angelus, modò Dominus memoratur. Angelus videlicet, propter hoc, quod exterius loquendo servicebat: Dominus autem dicitur, quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat. Cum ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur. Hinc David ait: *Attendite per  
pulemus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris  
mei.* Non enim lex David, aut populus David erat:  
*p. 77.*

A ij